

excusat eam, etiam et laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogativæ, quantæ excellentiæ fuit, quod resurgentem a mortuis prima videre, prima tangere meruit (53)?

5. Sed jam transeamus ad alia. Bonum quidem est nos hic esse, ubi datur fiducia peccatoribus; sed oportet etiam cætera non tacere. Itaque et in continentia ipsa, quæ est panis quintus, tria nihilominus invenio, unde merito clamare possim: *Quia fecit mihi magna qui potens est* (Luc. 1, 49). Forte parvum aliquid reputatis continentiam vestram; sed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, et quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit resistere talibus. Primus siquidem continentiam nostræ hostis caro est, adversus spiritum concupiscens. Quam domesticus hostis! quam periculosa lucta! quam intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, o anima mea, nec fugare; circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis: nam, quod periculosius est et miserabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. Vide ergo quam sollicite te custodire necesse sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo. Verum tamen non est hic solus adversarius mihi; alium adhuc habeo, qui circumcinxit et obsedit me undique: et si ignoratis, hostis ille est præsens sæculum nequam. Conclucit inimicus vias meas, et per quinque portas, quinque videlicet corporis sensus, jaculis suis vulnerat me [alias, appetit me], et mors intrat per fenestras meas. Sufficere nimis poterant isti duo: sed, heu me! ecce video ventum validum venientem ab aquilone, a quo panditur omne malum. Et nunc quid superest aliud? *Domine, salva nos, perimus* (Matth. viii, 25). Ecce enim malleus universæ terræ: ecce serpens, callidior cunctis animantibus; ecce inimicus ille, quem nec videre possum: quanto minus cavere? Neque enim est collectatio servare volentibus continentiam: continentiam autem dico non a sola luxuria, sed a cæteris quoque, sicut necesse est, vitiis et peccatis: non est illis collectatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiam in cœlestibus (Ephes. vi, 12). Et quis est qui jacula 943 eorum ignea possit exstinguere? *Paraverunt enim sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (Psal. x, 3); sed et *narraverunt ut absconderent laqueos, et dixerunt: Quis videbit eos?* (Psal. lxxiii, 6. Nunc quidem aperte et violenter, nunc occulte et fraudulenter, semper autem malitiose et crudeliter

PRO DOMINICA I NOVEMBRIS.

SERMO I.

De verbis Isaïæ, vi, 1, «Vidi Dominum sedentem,» etc.

1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*

(53) Hic Magdalena confunditur cum Maria sorore Lazari, et Peccatrice, ut sermone 2 in Assumptione. Dubius Bernardus sermone 12 in Cantica.

A impugnant et persequuntur nos. Et ad hæc toleranda, ne dicam superanda, quis idoneus? Credo jam vobis aliquatenus innotescit continentiam difficultas, ut juxta Apostolum sciatis quæ a Deo donata sunt vobis (I Cor. ii, 12). Omnino enim in Domino facimus hanc virtutem, et ipse ad nihilum deducit tribulantes nos. Ipse est qui non modo carnem nostram cum concupiscentiis suis, sed et præsens sæculum nequam cum curiositatibus et vanitatibus suis, etiam et ipsum cum tentationibus suis conterit Satanam sub pedibus nostris. Nunquid non merito dixeram inveniendum in continentia, unde clamarem: *Quia fecit mihi magna qui potens est?*

B 6. Jam vero sexti panis fragmenta accipite. Est autem panis iste gratia promerendi, bona scilicet æternæ vitæ. Quam gratiam in tribus maxime constare arbitror: in odio præteritorum malorum, et contemptu præsentium honorum, et desiderio futurorum. Septimus quoque panis est spes obtinendi, cujus nihilominus teneo fragmenta tria; et eorum sapor dulcis admodum gutturi meo. Tria, inquam, sunt quæ sic roborant et confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis, ab altitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum. Desideratis ea, an reservanda sunt propter eum qui dixit: *Mel invenisti? comede quod sufficit tibi* (Prov. xxv, 16). Sic completur quotidie quod de se ipsa Sapientia prophetavit: et nunc id ipsum video, quoniam *qui edunt me*, ait, *adhuc esurient* (Eccli. xxiv, 29). Proinde non vos protraham ultra, sed nec vestram fraudabo esuriam; quoniam quidem sic paratos vos video, ac si necdum sumpseritis quidquam. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipientis cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, et certus sum quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex qui difficile rumpitur, quem nobis a patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter, obsecro, teneamus: ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat et pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

etelevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus. Sublimis quædam visio prophetico nobis sermone describitur. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem*. Ma-

gnum spectaculum, fratres, et beati oculi qui vident. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ majestatis gloriam contemplari? Hoc quippe sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desiderant angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Sed aliam, fratres, audio prophetæ ejusdem, et ejusdem Domini longe dissimilem visionem. Siquidem Isaïas iste est, qui in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum, et non erat ei species neque decor; et æstimavimus eum tanquam leprosum* (Isai. liii, 2), etc. Ubi illud præsum considerandum est, quod communis illa, hæc prophetiæ prærogativæ propria videatur. Non sine causa sane ibi, *vidimus*, scriptum est; et hic, *vidi*: nisi ut illam quidem intelligas esse communem, hanc vero excellentiæ singularis. Siquidem absque specie et decore 944 vidit eum, et sprexit Herodes: viderunt ipsi quoque Judæi, qui et dinumeraverunt omnia ossa ejus. Jam vero super hæc visionem beata manifeste propheta denuntians ait: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (Isai. xxvi, 10).

2. Multifarie ergo multisque modis non solum locutus in prophetis, sed et visus est a prophetis. Agnovit eum David minoratum ab angelis; Jeremias etiam vidit eum in terris cum hominibus conversantem; Isaïas modo super solium excelsum, modo non solum infra angelos aut inter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur, id est non in carne tantum, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem prius Jesum videre curato. Intuere prius exaltatum in deserto serpentem, si videre desideras regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat et sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat et satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit otiosa visio, quia exaltatum otiose videre non poteris. Similis eris illi, cum videris eum sicuti est: esto et nunc similis ei, videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis a communionem gloriæ patietur arceri. Denique usque adeo non dedignatur passionis suæ consortem et in regnum admittere secum, ut in cruce confitens latro eadem die cum eo fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad apostolos: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, et ego dispono vobis regnum* (Luc. xxii, 28, 29). Quia ergo si compatimur, et conregnabimus: sit interim meditatio nostra, fratres, Christus, et hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis. Hoc enim iter, quo ostendatur et nobis ipse, qui est

(54) In plerisque manuscriptis continua serie sermones tres sequentes conjunguntur, et fere deest quintus, qui nova commentatio est in verba Isaïæ: sed tamen in Colbertino et Albo Mantellorum codici-

salutare Dei: sane non jam sine specie et decore, sed in claritate tanta, ut majestas ejus repleat orbem terrarum.

3. Opportune siquidem visione prima, tanquam hiemali adhuc tempore, non super solium, sed in inferiori atque humiliori habitatione videtur. Duplicem quippe solet habere magna domus quælibet mansionem, æstivam superius, inferius hiemalem. Igitur dum ipsa etiam discipulorum corda brumali adhuc glacie stringerentur, et Petrus quoque non minus gelido corde, quam corpore calefaceret se ad prunas; tempus omnino non erat habitandi in solio, vel potius apparenti. At ubi cantabitur canticum novum: *Hiems abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra* (Cant. ii, 11, 12); opportune jam tunc ascendetur in solium, et habitabit Dominus in excelso.

4. Puta ergo Isaïam, cum hæc loqueretur, illius gloriam temporis oculo prævidisse prophetico: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum*, etc. Sed quid putamus? quale est solium istud, fratres? Neque enim Altissimus in manifestis vel manufactis inhabitat. Nulla omnino materia corporalis apta tanto solio, tantæ fabricæ congrua, digna tanto habitatore videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera et æterna Vita sua inhabitatione dignetur. Quod si minus tanto ædificio sufficit angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio: suscitetur certe de terra inopem, et de pulvere erigatur pauperem, ut collocet eum cum principibus, et solium gloriæ compleat. Et fortassis propterea ipse qui vidit, non modo excelsum solium; sed et elevatum quoque describit: ut proinde et angelorum stabilis celsitudo, et hominum misericors elevatio designetur. Quæ sequuntur, diligentior et ipsa considerationem desiderare videntur: ideoque sufficiat hodie vel cœpisse.

945 SERMO II (54).

De verbis Isaïæ prophetæ, vi, 1, 3.

1. *Plena erat*, ait contemplator noster de eo, quem super solium viderat, *majestate ejus omnis terra*. Adveniat, Domine regnum tuum, ut majestate tua sicut cœlum repletur, repleatur et terra. Ut quid enim princeps hujus mundi tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impij? Sed hæc est hora ejus, et potestas tenebrarum. Erit certe quando qui in cœlo locum non habuit, et ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur miser, cavernis utique subterraneis recludendus. Hinc quippe propheta David sanctorum prosperitate præmissa, de maligno et angelis seu membris ejus adjecit, et ait: *Non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (Psal. 1, 4). Nulla jam tunc tentandi facultas erit.

bus reperitur. Et in libris Florum quinque isti sermones laudantur. Vide lib. x, cap. 9 et 10. Obser-a voces *seraphim* et *cherubim* in singulari scribi cum littera *m*, in plurali cum *n* in vetustis libris.

inquietandi nulla libertas; possibilitas nulla nocendi. Replebitur maiestate Domini omnis terra, quando iam voluntatis eius transgressio nulla erit; magis autem quando creatura ipsa liberabitur a servitute corruptionis huius, propter quam ingemiscit et parturit usque adhuc. Erit enim cælum novum, et terra nova; ut quaqua verteris oculos, in ipsa tibi rerum facie, divina videatur quodammodo resplendere maiestas.

2. Sed et est tibi altera quædam terra propinquior, et super hac amplior, justiorque sollicitudo. *Nemo quippe carnem suam odio habuit* (Ephes. v, 29). Consolare ergo eam, ut et ipsa requiescat in spe audiens nimirum, quia replebitur maiestate Domini omnis terra. Quomodo enim nunc carnem nostram, dilectissimam, maiestas divina repleat, cum et magnus ille Paulus, primitias tantum spiritus habens, ingemiscat miserabiliter satis, et dicat: *Scio quia non est in me, hoc est in carne mea, bonum?* (Rom. vii, 18.) Et certe iam non dominabatur peccatum in ejus mortali corpore (Rom. vi, 12). Nota tamen adhuc, et corpus mortale perhiberi, et peccati quoque solum dominium negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris ejus (Rom. vii, 23), quam quidem maiestatis plenitudo cum venerit, prorsus excludet. Non solum autem, sed et novissima inimica destruetur mors. Replebitur ergo maiestate Domini terra nostra, quando prorsus de medio fiet et peccati omnis sensus, et debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra nostra Domini maiestate, quando resurrectionis gloria vestietur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. *Salvatorem* siquidem *expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (Philipp. iii, 20). Quid adhuc murmurat, caro misera, quid adhuc recalcitrat, et adversus spiritum concupiscit? Si te humiliat, si castigat, si redigit in servitatem; id profecto in tuo genere non minus tua interest quam ipsius. Quid eis invidet, qui de operibus vermium, et murium pellibus ingloriam plane gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viris, interdicto et mulieribus; semetipsos dehonestantes potius quam ornantes? Reformant ipsi, aut magis certe deformant corpora sua; te, si fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formavit. Illam, si non desipis, præstolabere manum, ut quod fecit, ipsa reficiat.

3. Jam vero quid in ipsa prophetica visione sequatur attende: *Et ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Propterea sane dixit: *Humiliare sub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore visitationis* (I Petr. v, 6). Vide ut sub ipso inveniaris, alioquin non poteris esse cum ipso. Quid enim? putas, indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem angelos indifferenter reliquit in eo? aut non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Examinabit certe argentum, qui ipsum quoque au-

rum probavit, et reprobavit. Qualem ergo, putas, necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum angeli sortiatur? Plane immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maxime, quæ in ipso quoque angelo, non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte et parte, non modica. Quid ergo? Facilene deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit civitas illa, et vehementer huiusmodi pestem abominatur? Certi estote, fratres, eum qui superbis non pepercit angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor; similia sunt iudicia ejus. Sola ei placet humilitas, sive in angelo, sive in homine; et qui sedet in throno, solos eligit subditos, e quibus repleat templum. Scriptum quippe est: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo, et in terra?* (Psal. cxii, 5, 6.) Vide autem ne forte Michaelis verbum sit, superbo illi dicenti: *Similis ero Altissimo, in faciem resistentis.* Michael quippe interpretatum dicitur, *quis ut Deus?*

4. Bene ergo propheta cum dixisset, vidisse se Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; ne forte aut excelsum intelligeres de eo dictum qui ait: *Ascendam super altitudinem nubium* (Isai. xiv, 14); aut elevatum referres ad eos homines, qui in superbiam eriguntur, addidit: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum;* ut manifeste intelligas, non eam altitudinem commendari, quæ extollitur adversus eum; sed eos in templo, sive in solio fore, qui sub eo sunt, alios quidem excelsos stabilitate solida, alios ex imo levatos miseratione divina. Ac ne forte objicias, ditioni ejus universa subesse, nec quidquam determinationis habere quod ait: *Quæ sub ipso erant:* ut solam, quæ voluntaria est, et ex fervore charitatis procedit, approbaret et commendaret Dei subjectionem, addidit et de seraphim, de quibus et nos loco suo dicimus, quod ab eo fuerit datum.

5. *Et ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Ab initio siquidem creaverat angelos Deus, in quibus beati illius templi plenitudo constaret: sed non in omnibus beneplacitum est ei, quia *et in ipsis, ut scriptum est, angelis suis reperit pravitatem* (Job. iv, 18). Fuit quippe in eis qui diceret: *Ponam sedem meam ad aquilonem* (Isai. xiv, 13); et populum qui sibi crederet, habuit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo; miseri et illi, qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exierunt infelices, et vacuus relictus est locus, quem accipiat alter. Nonne Deo subjecta eris, anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Frustra pulsabunt fatuæ virgines, in vanum clamabunt, ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, et janua clausa erit. Infelix anima, cui a nuptiis illis contigerit excludi! Infelix de quo clamabitur: *Tollatur impius, ne videat glo-*

riam Dei (Isai. xxvi, 10). Ut quid enim lucem hanc temporalem miser ille videt, qui gloriam illam non merebitur intueri? Utinam nihil unquam vidisset oculus meus, si illa, quod avertat Deus, frustrandus est visione! Eant superbi, insolescant magis; extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere: ut cum venerit æquitatis linea, a plenitudine efficiantur. Tu vero non sic, sed Deo subjecta esto, anima mea, subjecta sane ex animo, subjecta cum fervore devotionis; quia *seraphim stabant super illud.* Cum quibus stemus et nos hodie, fratres, nec dimoveamur a templo isto, in quo omnes dicunt gloriam, quia gloriam contemplantur Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De verbis Isaie prophetae, vi, 2.

1. Non vobis arbitrator excidisse de duobus seraphim hodie nobis habendum esse sermonem, 917 propter illud Isaie, qui postquam Dominum sese vidisse testatus est super solium residentem, addidit, seraphim stare super illud. Seraphim quidem, dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum spirituum, ordinis unius de novem, ipsiusque summi atque supremi. Verum hoc loco, ut arbitrator, non in ea ponitur significatione, præsertim cum innumera illa sint agmina, hic vero duo tantum seraphim describantur. Et ego quidem, fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus seraphim duplicem arbitrator intelligi creaturam rationabilem, angelicam scilicet et humanam. Nec mireris hominem seraphim factum: memento quia Creator et Dominus seraphim factus est homo. Ad contumeliam tuam, o superbe, qui creatus inter angelos, inter angelos stare non meruisti, ecce rex noster novos in terra angelos fabricaturus advenit. Atque, ut tabescas amplius, et livore proprio torquearis; non qualescunque, nec inferioris alicujus ordinis angelos, sed seraphim Audi enim quid ipse loquatur. *Ignem, inquit, veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendantur?* (Luc. xii, 49.) Vult ergo seraphim fabricari, ut ibi stent, unde tu corruisti. *Seraphim, inquit, stabant super illud.* Ut quid ergo tu, qui mane oriebaris, Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia seraphim non fuisti? Seraphim quippe *ardens* vel *incendens* interpretatur. Tu vero habuisti, miser, lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi, si ignifer magis esses quam lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus aquilonis* (Isa. xiv, 13, 14). Quid festinas mane oriri, Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur te Sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, ejus fervore pariter et splendore in nihilum redactus omnino dispareas. Frustra quoque paras venturum in fine sæculorum

A Dominum, tanquam veri solis ortum, in damnato illo quem assumpturus es homine prævenire, et extolli super omne quod dicitur, aut colitur Deus; quia et tunc adventus ejus illustratione penitus destrueris.

2. Quam melius, et certe non ad insipientiam sibi, Joannes Baptista, siquidem et ipse lucifer fuit, non sua præsumptione, ne et ipse fur esset et latro, sed Dei Patris auctoritate præmissus est ante Dominum! *Ecce, inquit, mitto angelum meum ante faciem tuam* (Luc. vii, 27), etc. Habes et in psalmo de eodem: *Paravi lucernam Christo meo* (Psal. cxxxii, 17). Ille enim erat lucerna ardens et lucens: et voluerunt Judæi ad horam exultare in lumine ejus, sed non ipse. Unde ergo? Ipsum interroga, ipse de se lo-

quatur. *Amicus, inquit, sponsi stat, et gaudet propter vocem sponsi* (Joan. iii, 29). Stat ergo Joannes: neque enim arundo est vento agitata. Stat quia amicus est, stat quia ardens est, et seraphim stare describuntur. Vere amicus sponsi, qui procedens de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam; ut et ipse de plenitudine ejus accipere mereatur. Lucet ergo Joannes, tanto utique clarius, quanto amplius fervet: tanto verius, quanto minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venerit, sed prænuntiare splendorem. *Non sum ego, inquit, Christus; venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti;* et illud: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto et igne* (Joan. i, 20, 26, 27, 33). Ac si manifeste lucifer dicere videatur: Quid admiramini intuentes splendorem meum? Non sum ego sol; longe alium videbitis eum, in cujus comparatione tenebræ sum, et non lux. Ego, tanquam sidus antelucanum, matutino vos rore perfundo; ille emittet in fervore radios suos, solvet glacies, paludes siccabit, argentes calefaciet, pauperibus erit pro vestimento. Nec sane dissonat a verbo iudicis vox præcursoris, sed manifeste ignem a Joanne promissum Christus exhibuit, dicens: *Ignem veni mittere in terram.*

918 3. Dicas fortassis, in igne ut fervorem, sic et splendorem esse. Non contendo, licet fervore ei quodam modo substantialior videatur. Ipsum potius audiamus, quid magis in igne commendat. *Ignem, ait, veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat?* Cognovisti certe quid velit. Sed ne illud quidem ignoras, quod vita in voluntate ejus (Psal. xxix, 6); et servus sciens, nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare (Luc. xii, 47). Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi, sicut sol, in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi: fervere enim multo melius. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato; et primum quære fervorem, nec dubium quin et splendor adjiciatur tibi. Alioquin incassum laboras, quia vanus splendor absque fervore. Mutuata, aut magis certe simulata lux est,

quæ non ab igne præcedit. Quod autem alienum est, ad modicum poteris usurpare. Erit major confusio, quod non erat tuum, tuum voluisse videri. Luna, ut aiunt, habet absque fervore splendorem, sed et ipsum mutatur a sole; ideoque tam frequenter, imo et semper mutatur, nec unquam in eodem statu permanet. Sic profecto stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol (Eccl. xxvii, 12). Ille, inquam, stultus, qui in decore suo perdidit sapientiam, id est qui refriguit in splendore.

4. Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cælo; seraphim vero stant super illud. Stant plane seraphim; quia charitas nunquam excidit (I Cor. xii, 8). Stant attoniti et suspensi in contemplatione sedentis in throno, stant in æterna incommutabilitate et æternitate incommutabili. Tu sedere tentasti, o impie, propterea tui moti sunt pedes, et effusi sunt gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus sabaoth, cum tranquillitate iudicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immortalitatem [alias, immutabilitatem]; sola est apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim vero stant immutabiles quidem, sed suo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes se et intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus: unde solam hodieque malitiam esurit; quia solam habet hanc a semetipso. Cum loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia mendax est, et pater ejus (Joan. viii, 44). Quod audis de verbo mendacii, intellige et de opere malitiæ. Et licet male sibi in malo placeat, sufficere tamen sibi nunquam poterit nec in ipso. Sola proinde sedet Trinitas summa, quæ sola habet in se esse: in se est, et ideo sola vere est; sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibi ipsi.

SERMO IV.

De verbis Isaia propheta, vi, 2.

1. Cum dixisset propheta, quia seraphim stabant, adjunxit deinde, et ait: Sex alæ uni, et sex alæ alteri. Quid sibi volunt alæ istæ, fratres? Ergone etiam cum hiems transierit, et sedebit Rex super solium, volandum adhuc erit et ipsis seraphim, ut possint diversis occurrere necessitatibus diversorum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit ut in illo æternæ beatitudinis regno necessitas, aut periculum, aut labor, aut tribulatio sit, cui oporteat subveniri. At quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa, omnino sic volo manere, nec aliquid prorsus admitto, quo mihi stabilitas illa depereat. Verumtamen scio, beate Isaia, quod propheta es tu, et spiritum ejus habes, qui abundantia pietatis excedit hominum non modo merita, sed et vota. Salva mihi sit illa tam amata stabilitas: jam si quid alæ istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso. Credo au-

(55-56) B. Hieronymus.

tem sicut in statione immutabilitatem, sic et in volatu alacritatem promitti, ne videlicet insensibilis quædam et quasi lapidea stabilitas aestimetur. Sed dicas: Etsi alas habere necesse est, quare tam multas? Quid sibi vult multiplicitas 919 ista pennarum? Audi quod sequitur: Duabus alis velabant caput, duabus pedes, et duabus volabant. In quibus verbis videre mihi videor, quod de statione dictum est, volatu manifestius explicari. Quo enim seraphim volant, nisi in eum, cujus ardent amore? Vide flammam quasi volantem, et stantem simul; nec miraberis jam seraphim stantes volare, stare volantes.

2. Sed quia diximus quo volant; ipsas quoque quibus volant alas exigere religiosa curiositas vestra videtur. Certius posset et credibilis testimonium perhibere, cui datum est et videre. Ego tamen opinor non incongrue pennas istas agnitionem et devotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra ipsos est, seraphim rapiuntur. Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius qui una tantum ala volare contendit: et quo magis attollitur, pejus colliditur. Experti sunt hoc philosophi gentium, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientis cor eorum. Denique traditi in reprobum sensum, usque in ipsis etiam passionibus ignominia corruperunt (Rom. i, 21, 26, 28); adeo vera probatur illa sententia: Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi (Jac. iv, 17). Sic et zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corrumpit, impingens nimirum atque resiliens. Ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur; volet secure quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

3. Jam super ea, quæ præmittitur, capitis et pedum velatione exstat a Patribus probata sententia, Dei caput, pedesque velari, eo quod lateat quid ante mundum fuerit, quidve futurum sit post ejus consummationem. Et hoc quidem pro eo, quod distincte in Latinis codicibus scriptum est: Caput ejus et pedes ejus. Testatur autem interpres noster (55-56) in Hebræo verbum esse commune, quod interpretari possit ejus, et suam; ut seraphim juxta Hebræi sermonis ambiguitatem, vel faciem pedesque Dei, vel suam faciem ac pedes operire dicantur. Unde et mirum videri potest, cur e duobus eum magis in interpretatione elegerit sensum, quem visionis ipsius consequentia minus videtur admittere, ut videlicet volarent, et velarent pariter caput pedesque sedentis, nisi quod Origenis expositionem secutus est in hac parte.

4. Quod si de ipsis quoque seraphim licet accipere, sic pinget ea, ut operito capite et pedibus, solum appareat corpus medium, sed et ipsum quoque non penitus, propter eas nimirum alas, quibus volare perhibentur. Considero siquidem quasi quoddam caput, corpus et pedes meos in verbis Apostoli,

quibus ait: Quos enim præcivit et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui: et quos prædestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et magnificavit (Rom. viii, 29, 30). Itaque initium meum solius gratiæ est, et non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam, sive vocatione. Non sic sane ab opere justificationis alienus sum: operatur et illud gratiæ, sed plane mecum. Videsne quemadmodum seraphim in medio appareat aliquatenus? Porro consummatio quidem et ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator. Velat itaque seraphim caput suum duabus pennis, si et veraciter cognoverit, et humiliter fateatur, quia misericordia eum sola prævenerit. Velat et pedes alis æque duabus, si misericordiam quoque, quæ subsecutara est, nec ignarus extiterit, nec ingratus. Quam sane capitis et pedum velationem et nunc quoque negligere non oportet, licet tunc maxime perficienda sit, quando iudex sedebit super solium, et astantes sibi seraphim et agnitione veritatis subtilius illustrabit, et inflammabit vehementius charitatis ardore. In quorum numero indignos nos servos nominis sui ipsa, de qua locuti sumus, 950 constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est et usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium, meriti gratia; principium vero et finem omnino soli vindicans sibi: ut sit nobis alpha et omega Dominus Deus noster; et pro utroque jure clamemus: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal. cxlii, 1). Amen.

SERMO V.

De verbis Isaia propheta, vi, 1, 3.

1. Commendant nobis, sacræ litteræ Christum Dominum et ex Patre, et in Patre, et cum Patre, et a Patre, et pro Patre, etiam et sub Patre. Quod dicitur, ex Patre, ineffabilis est nativitas; quod in Patre, consubstantialis unitas; quod cum Patre, æqualitas majestatis. Sane enim tria hæc ab æterno. Cæterum si ex Patre nascens; quid in Patre, aut cum Patre? Non incongrue forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite consessus hujus, et hujus accubitus rationem. Sicut enim sessio majestatis, sic consessio æqualitatem exprimit majestatis, præsertim cum sit ei sedes a dextris Patris, non sane sub pedibus, vel quasi a tergo. Et sedere quidem jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilius et quodammodo dulcius esse videbitur Filio, quod in Patre est, an quod cum Patre omnibus præest? In quo putas horum summa illa pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, et singularis requies Domini competentiùs assignetur? Etsi digne satis ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan pie concipitur: ut salva quidem in omnibus illius indivisibili simplicitate essentia, inter gloriæ æqualitatem, et substantiæ unita-

tem, velut similis quædam ei, quæ inter consessum et accubitus est, cogitari posse distinctio videatur.

2. Denique parum videtur sponsæ videre sedentem; cubantem sibi flagitat indicari. Indica mihi, ait, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie (Cant. i, 6). Sed et animæ omni, quæ sanum sapit, dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait: Qui adhæret Deo, unus spiritus est (I Cor. vi, 17); quam quod apostolis dicitur: Cum sederit Rex in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes (Matth. xix, 28). Haud minus utique jucundior sessione cubatio. Ego in Patre, ait Filius, et Pater in me est (Joan. x, 38). Non potuit expressius substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari; simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Verumtamen aliquatenus huic simile est quod dicitur: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (I Joan. iv, 16): nisi quod hic quidem spiritualis quædam unio, secundum quod supra memoravimus: Qui adhæret Deo; non quidem unum, id est non una substantia, sed unus spiritus est; illic vero naturalis potius et substantialis unitas designatur. Unde et habes in Evangelio: Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30). Illud proinde juxta præfatam similitudinem, tanquam cubiculum Unigeniti, et quasi summa quædam requies Domini est. Nos quoque per hanc voluntatum unionem et adhæSIONEM spiritus, quam nimirum charitas facit pro nostro quidem modulo, in hoc suum cubiculum et in suam requiem factus etiam primogenitus introducit.

3. Jam vero quod dicitur a Patre, ambulans significat, et ad eum, quem proxime ipso præstante celebraturi sumus, spectat Incarnationis ejus adventum. Hinc nimirum et ipse ait: Ego enim a Deo processi et veni (Joan. viii, 42). In terris denique visus, et cum hominibus conversatus, medius nostrum, quem nesciebamus, stetit, verus quidem Emmanuel, nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro Patre. Quod enim nobiscum stetit, adjutorium; quod pro Patre stetit, zelum designat. Paternam nempe querebat in omnibus gloriam, cujus et venerat facere voluntatem. Cæterum si pendentem 951 consideres; si Christum et hunc crucifixum attendas, ibi maxime evidentissimeque eum sub Patre reperies. Hoc enim proprie ac specialiter ad humanam pertinuit naturæ humilitatem, secundum quam ipse ait: Pater major me est (Joan. xiv, 28). Dicerene audebimus quod aliquando etiam fuerit sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? (Matth. xxvii, 46.) Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis.

4. Habemus itaque Christum ex Patre nascentem, in Patre cubantem, cum Patre sedentem, a Patre ambulans, pro Patre stantem, sub Patre pendentem, sine Patre quodammodo morientem. Quoniam